



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Opvs Theologicvm

Mauro, Silvestro

MDCLXXXVII

Q. 286. Ad quem spectet electio episcoporum, & summi Pontificis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84149](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84149)

less. 27. cap. 4. & can. 7. vbi definitur in ordinatione episcoporum, sacerdotum, & ceterorum ministrorum, neque populi, neque cuiusque secularis potestatis, & magistratus consensum, siue vocationem, & auctoritatem ita requiri, vt sine ea irrita sit ordinatio; & paulo post decernitur eos, qui tantummodo à populo, vel seculari potestate, ac magistratu vocati, & instituti sunt, non esse ecclesiarum ministros, sed fures, & latrones.

9. Probatur: nam ad eos iure diuino spectat electio ordinandorum, & ministrorum ecclesiarum, quibus iure diuino commissa est cura ecclesiarum cum potestate ordinandi; sed cura ecclesiarum cum potestate ordinandi commissa est, non populo, neque principibus, & magistratibus secularibus, sed Petro, aliisque Apostolis, cum suis successoribus; ergo &c.

10. Confirmatur: nam tempore Christi Principes, magistratus, & populus erant infideles; Petrus autem, & Apostoli missi sunt à Christo, vt populos conuerterent ad fidem, & ex eis iam ad fidem conuersis eligerent ministros; ergo potestas ordinandi, & eligendi ministros &c. spectat ad episcopos, qui quatenus episcopi, sunt successores Apostolorum à Christo missorum, non autem ad Principes, populos, & magistratus, qui quatenus tales, sunt successores infidelium ab Apostolis ad fidem conuersorum, & electorum ad baptismum, & ad alios gradus ecclesiarum.

11. Dicendum tertio: electio ad ordines minores, & maiores vsque ad sacerdotium inclusiue iure diuino spectat ad episcopum vniuersiusque diocesis, ad eundemque spectat vocatio, & electio ad quodcumque ministerium intra eandem diocesim, ita vt eadem electio, vocatio, & institutio possit etiam fieri à summo Pontifice. Probatur ex perpetua consuetudine, qua vnusquisque episcopus in sua diocesi potuit semper eligere ad ordines, & ministeria. Et ratio est, quia conueniens est, vt is, cui commissa est cura alicuius ecclesiarum, prouideat illam de ministris. Quod autem etiam Summus Pontifex possit eligere ministros in quacunque diocesi, probatur, tum ex perpetuo vsu, tum quia summus Pontifex est pastor totius ecclesiarum, & omnium ouium Christi; episcopi verò vocantur in partem sollicitudinis; ergo cum ad summum Pontificem spectet cura omnium ecclesiarum, summus Pontifex potest eligere ministros in quacunque ecclesia particulari. Confirmatur: nam ad summum Pontificem spectat diuidere ecclesiam in particulares dioceses, ac singulis episcopis assignare oues, easque eorum iurisdictioni committere, prout voluerit, adeoque potest in quacunque diocesi eligere ministros, prout iudicauerit expedire ad bonum ecclesiarum.

QVAESTIO CCLXXXVI.

Ad quem spectet electio episcoporum, & summi Pontificis?

1. Dicendum primo: electio omnium episcoporum ita spectat ad summum Pontificem, vt ipse possit, & debeat illos, vel per se eligere, vel electionem alijs committere, & modum electionis prescribere, ita vt ea solum electio sit valida, quae facta fuerit modo ab ipso prescripto. Probatur: nam Christus dicens Petro, & successoribus eius, *Pasce oues meas*, constituit Petrum pastorem vniuersalem ecclesiarum, & omnium ouium, ac dedit illi potestatem faciendi omnia, quae requiruntur ad bonum ouium; sed inter alia, quae requiruntur ad gubernationem ouium, est, vt constituantur alij pastores inferiores, ac singulis assignentur suae oues; ergo Christus dedit Petro, & successoribus potestatem constituendi episcopos, & prescribendi formam, qua debeant eligi, diuidendi dioceses, ac singulis episcopis assignandi suas oues.

2. Confirmatur: nam de facto S. Petrus ad plures prouincias, & ciuitates misit episcopos, puta S. Marcum misit Alexandriam, eumque constituit Patriarcham Aegypti, & quarundam aliarum regionum; discedens Antiochia reliquit ibi Anianum, eumque constituit Patriarcham Syriae, & aliarum regionum; ergo S. Petrus primos Patriarchas, & episcopos per se ipsum constituit. Deinde auctoritate proculdubio summorum Pontificum inducta est consuetudo, vt episcopi eligerentur à Metropolitanis, & Patriarcha cum episcopis prouincialibus, vt constat testimonijs Anacleti, epist. 2. cap. 1. Aniceti in epist. vnica ad episcopos Galliarum, cap. 1. Concilij Carthaginensis 2. can. 12. & refertur can. placet omnibus 65. dist. & plurium aliorum Conciliorum. Aliquando in vsu etiam fuit, vt episcopus eligeretur ab vniuerso clero ciuitatis, concurrente etiam populo, & hoc pacto electus fuit etiam S. Ambrosius in episcopum Mediolanensem. De facto episcopi solent eligi à Romano Pontifice, licet Principes seculares aliquos episcopos praesentent, & in Germania eliguntur à capitulis, sed confirmantur à summo Pontifice. Iam ex hoc ipso, quod diuersis locis, ac temporibus fuerit, ac sit varius modus eligendi episcopos, inferitur iure diuino spectare ad summum Pontificem episcopos eligere, vel eorum electionem alijs committere, prescribendo modum eligendi. Si enim iure diuino electio episcoporum spectaret ad Metropolitanum, & ad episcopos prouinciales, vel ad alios quoscumque, semper & vbique ad eundem spectaret; sed non semper, & vbique ad eundem spectat: ergo iure diuino non spectat ad episcopos, vel alios quoscumque; sed semper & vbique, vel summus Pontifex elegit, vel apud

apud catholicos ea existimata est valida electio, quam summus Pontifex approbaret; ergo iure diuino summus Pontifex, vel debet eligere episcopos per seipsum, vel debet episcoporum electionem alijs committere, & formam eligendi præscribere.

3. Dicendum secundo; ad summum etiam Pontificem iure diuino spectat præscribere formam eligendi successorem, ac potestatem illum eligendi alijs committere. De facto enim commisit eam electionem Cardinalibus, præscripsit formam eligendi, & statuit, vt si non feruetur forma præscripta, electio sit inualida. Ratio est, quia summus Pontifex à Christo dicente, *Pasce oues meas*, accepit potestatem vniuersalem faciendi ea, quæ requiruntur ad gubernationem ecclesiæ, & ouium Christi; sed ad gubernationem ecclesiæ, & ouium Christi spectat etiam præscribere formam eligendi successorem; ergo &c. Iam verò quia antiquitus episcopi solebant eligi, vel ab episcopis prouincialibus, vel à clero ciuitatis, præscripta est talis forma eligendi summum Pontificem, vt ad eius electionem concurrant sex Cardinales episcopi, tanquam episcopi prouinciales, & alij Cardinales presbyteri, & diaconi, qui sunt præcipui ex clero Romano. Et quia vt dicitur cap. *licet de vitanda*, de elect. si in alijs electionibus erretur, possunt corrigi à potestate superiori, at si erretur in electione summi Pontificis, error non potest corrigi ab vlla potestate superiori, cum summus Pontifex in terris superiorem non habeat, ideo statutum est, vt licet ad alias electiones sufficiant suffragia supra mediocritatem, ad electionem summi Pontificis requirantur duæ ex tribus partibus suffragiorum.

4. Quæritur, ad quem spectaret electio summi Pontificis, si deficerent Cardinales, qui iure ecclesiastico electores sunt constituti.

Respondeo tres esse sententias. Prima Syluestri in summa, verbo *Excommunicatio* 9. num. 9. docet, quod spectaret ad reliquum clerum Romanum. Secunda Caietani, tom. 1. Opusculorum, opusculo 1. de potestate Papæ, docet, quod spectaret ad Concilium vniuersale. Tertia quodammodo media docet, quod deuolueretur ad episcopos vicinos, & reliquum clerum Romanum, cum aliqua tamen dependentia à Concilio vniuersali.

5. Dicendum cum secunda sententia, quod deficientibus Cardinalibus, electio summi Pontificis spectaret ad Concilium generale. Probat: nam deficientibus Cardinalibus, ad eos spectaret electio summi Pontificis, ad quos spectaret iure diuino; siquidem iure ecclesiastico, & humano pro eo casu nihil est statutum; sed iure diuino in eo casu spectaret ad Concilium generale representans totam ecclesiam prouidere sibi, & ecclesiæ de capite, eo pacto, quo tempore schismatis,

cum nullus est Papa certus, Concilium generale debet sibi, & ecclesiæ prouidere de certo capite, vt factum est in Concilio Constantiensi; ergo &c.

6. Opponunt: Cardinales successerunt clero Romano in iure eligendi Pontificem; ergo deficientibus Cardinalibus, ius eligendi rediret ad clerum Romanum.

Respondeo, distingo antecedens; Cardinales successerunt clero Romano, quibus iure ecclesiastico conueniebat potestas eligendi, concedo; quibus potestas eligendi conueniebat iure diuino, nego; & nego consequentiam. Sicut per ius ecclesiasticum data fuerat clero Romano potestas eligendi Pontificem, sic eodem iure fuit ablata, & data Cardinalibus; ergo vt ad clerum Romanum rediret, deberet redire iure ecclesiastico; sed iure ecclesiastico non rediret, cum nullo iure ecclesiastico statutum sit, vt pro illo casu redeat ad clerum Romanum; ergo deuolueretur ad eos, ad quos pro eo casu spectat iure diuino; sed pro casu, pro quo iure ecclesiastico nihil sit statutum circa modum eligendi Pontificem, ius eligendi spectat ad concilium generale representans totam ecclesiam; ergo &c.

7. Debet aduerti, quod aliquo tempore ad electionem ministrorum requisitus fuit consensus populi, & hæc consuetudo aliquandiu in ecclesia perseuerauit, vt patet ex Cypriano, lib. 1. epist. 4. Theodoro lib. 1. Historiarum, cap. 9. Chrysostomo lib. 3. de sacerdotio, vbi deplorat mala, & incommoda, quæ oriebantur ex eo modo eligendi ministros, & ex alijs, quos refert Gratianus, distinct. 23. 24. 62. 63. 65. & 68. Procedente verò tempore, propter maxima incommoda, hæc consuetudo est ablata, & statutum est, vt ad electionem ministrorum non requiratur consensus populi. Ex eo verò, quod hæc consuetudo fuerit ablata, infertur contra hæreticos nostri temporis consensum, populi ad electionem ministrorum ecclesiasticorum iure diuino non requiri. Si enim iure diuino fuisset requisita, hoc ius non potuisset auferri iure ecclesiastico.

QVÆSTIO CCLXXXVII.

De sexu ordinandorum.

1. Sequitur, vt agamus de conditionibus ordinandorum, quæ sunt sexus, ætas, & qualitas, ac primo de sexu.

Hæretici Cataphrygæ, vt ex pluribus auctoribus docet Vasquez, disputat. 245. cap. 1. docuerunt, non solum viros esse ordinandos in diaconos, sed etiam fœminas in diaconifas; immo Epiphanius aduersus hæreses, hæresi 49. tribuit illis alium etiam errorem, quod ex mulieribus etiam presbyteras, & episcopas constituerent. Hæc opinio est hæ-

retici-